



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 76. Bartholomæus Livianus Veneti exercitus Dux.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI.  
A C 1513.

§. LXXVI.

*Bartholomæus Livianus Veneti exercitus Dux.*

Memoravimus, quod Bartholomæus Livianus, tum legionis Magister, in Agniadellano prælio captus fuisset, nec alio, quam foederis, quod Francia nuper cum Venetis inierat, lytro libertatem suam redemisset. Nunc vero idem ipse, cum Venetos in Ducis supremi selectu dubios hæere comperiret, mox cursoriis equis Segusium in Pedemontio situm proficiscitur, ubi sua Venetis servitia oblaturus substitit. Ergo Senatui libellum apologeticum tradit, quo comprobare nititur, quod Agniadellanæ cladis causa haud alia exstitisset, quam Petiliani Comititis, cujus vicarius fuisset, cunctatio, qua opportuno tempore sibi suppetias mittere neglexisset, nec suis debite succurrisset. Primo equidem Senatores Liviani apologiæ parum favebant, eundem Petiliani mortem, cum ipse haud ultra sese tueri posset, in rem suam vertere arbitrati. Ast Grittus non ita pridem Venetias delatus, Liviani defensionem in se suscepit, tantaque dexteritate Senatorum animos ad sua vota inclinavit, ut Liviano summum exercitus imperium deferretur, illudque gerere juberetur nuntio,

*Bembo hist.  
Venet.*

tio hanc in rem Segusium misso, quo <sup>Sæcul. XVI.</sup> accepto Livianus mox inde profectus, <sup>A. C. 1513.</sup> eadem, qua prius Petilianus valebat, auctoritate Reipublicæ exercitum ducens, suis copiis Mincium trajicere præcipiebat, tam prospero consilii successu, ut Vallegium, & Piscaria, quæ erant urbes Germanorum præfidiis munitæ, missis ad eum civibus ultro deditionem facerent, quamvis illas obsidere minime pararet.

§. LXXVII.

*Liviani victoriæ in Mediolanensi statu.*

Ceterum Livianus copias suas Trimolio quantocius jungere decreverat, unitis Gallorum, ac Venetorum viribus neminem resistendo parem fore persuasus. Rustici quoque Brixiani sumptis armis, electoque inter suos Duce Brixie urbis foribus agmina sua admovent, civibusque, ut præsidium a Cardonna impostum trucidarent, opem ferunt, Liviano nunciantes, protinus accurreret arcem obsessurus, qui tamen nonnisi tria armatorum millia Brixiam submisit, consultius existimans, quod residua exercitus sui parte recta Cremonam peteret, quamvis ejus consilium minime Venetorum Provifori probaretur, nec ipse de itineris sui ratione Rempublicam certiozem fecisset. Ergo Cremonam contendit, a civibus